

verehren kann, wenn man ihn nimmt, wie er war, und nicht wie ihn die Generationen vor uns sehen wollten. Norbert ist, so scheint mir, durch seinen Willen zu Leistung und Tat, im Streben, das Unvereinbare um jeden Preis zu vereinen, aber auch durch Mangel an Augenmaß und Selbstbescheidung, durch ein zu geringes Maß an Menschenliebe über die Jahrhunderte hinweg unser Landsmann und Bruder geblieben.» — «Wir können Norbert als Heiligen und Diener Gottes verehren, weil er in allem, was er tat, was ihm gelang und wo er versagte, von der Liebe Gottes gedrängt und getragen war, weil er niemanden anders als Leitstern vor Augen hatte, als den erniedrigten Gottessohn und sein Erbe, die Kirche.»

An der Abtei 4
D-4100 Duisburg 11

Ludger HORSTKÖTTER, O. Praem.

**Spiritus Sanctus et B. Deipara-Virgo apud auctores Praemonstratenses
saeculi duodecimi, potissimum apud Philippum de Harveng.**

Ordo Praemonstratensis inde ab initio finem clare determinatum et praecisum non habuisse videtur. Praeter-uti liquet-intendere sequelae Christi. Sodales Ordinis ex una parte vitae contemplativae dediti erant; ex altera parte, practice inde a foundatione sua paratos sese praebebant ad servitium praestandum variis necessitatibus Ecclesiae, juxta exemplar exhibitum ab ipso Fundatore, s. Norberto. Hac ratione evenit curam animarum, ratione diversa forte, concreditam fuisse sodalibus Ordinis. Ita ut isti quam maxime intenti essent necessitatibus vitae pastoralis practicae. Ex altera parte compertum est Ordinem Praemonstratensem, inter sodales suos, et quidem saeculo duodecimo, saeculo proinde foundationis suae, tres auctores theologicos, uti nostris temporibus loqui solemus, habuisse. Adamum Scotum nempe, Anselmum de Havelberg, Philippum de Harveng. Opera provenientia ab istis auctoribus scrutando, perspeximus eos praeclara edicere de habitudine Spiritus Sancti ad Deiparam Virginem Mariam. Varia nonnulla testimonia de isto themate, praecise sumpto, proponere vellemus.

Tres isti Praemonstratenses iuxta ordinem alphabeticum nominum suorum consideramus. Practice ad eandem periodum et eosdem annos siquidem pertinent.

1. Adamus Scotus.

Bibliographia ac persona Adami, Scoti dicti, ac eorum quae scripsit, hisce ultimis annis multum excrevit. Notum quidem erat *gloriosum magistrum Adamum*¹⁾ praeclara scripsisse; plurimaeque scripta ab ipso provenientia ad nos usque pervenisse. Cum vero sermo esset in traditione antiquiori, de Adamo quodam Scoto, Praemonstratensi, et de Adamo quodam Carthusiensi, dubia movebantur de huius aut de eorum identitate. Accuratis inquisitionibus institutis, A. Wilmart probavit agi de una eademque persona, qui, postquam iam abbas esset in Ordine Praemonstratensi, in abbatia de Dryburgh, transivit ad Ordinem Carthusianorum. Quod evidens factum est postquam Wilmart scripsit in *Mélanges Mandonnet*, t. II, Parisiis, 1930, pp. 145-161: *Magister Adam Carthusiensis*; et deinde: *Maître Adam Chanoine Prémontré, devenu Chartreux à Witham* in *Anal.Praem.*, 1933, t. IX, pp. 209-232. Annis subsequentibus plurimae inquisitiones in Adami personam ac scripta prodierunt²⁾.

Paucissimis verbis decursum eius vitae describimus. Natus versus a.1130, in regione septentrionali Angliae hodiernae, formationem litterariam fundatam nactus est. Fit deinde canonicus in abbatia de Dryburgh (in Scotia). Studiis et inquisitionibus theologicis et ecclesiasticis summo cum zelo incubuit. Praedicationi, tum scriptis, tum verbo sese dedit. Variaque itinera instituere ipsi concessum est. Ita invisere potuit abbatiam centralem Ordinis, Prémontré, in Gallia septentrionali. Abbate Gerardo Driburgensi, aegrotanti, qua coadiutor adiungitur. Consequenter ad novum iter in Prémontré, occasione celebrationis Capituli generalis, sese aggregavit Ordini Carthusianorum in Witham, in Anglia. Nullibi indicat Adamus noster rationem praecisam ob quam talis transitus factus sit. Ratio illa non alibi quaerenda videtur nisi in desiderio maioris et purioris vitae contemplativae. In hac sua vita contemplativa et quodommodo eremitica persistit usque ad obitum (20 martii 1212). Plurima scripta Adami ad nos usque pervenerunt. Impressa in *Patrologia*

¹⁾ G. MORIN, *Gloriosus Magister Adam* in *Revue Bénédictine*, 1932, t. XLIV, p. 179-180; Fr. PALLESCHI, *Ricerche su Adam Scot* in *Anal.Praem.*, 1965, t. XLI, p. 79.

²⁾ Vide: N. WEYNS, *Een Premonstratenzer abdij volgens Adam van Dryburgh* in *Anal.Praem.*, 1946-1947, t. XXII-XXIII, pp. 5-34; Id., *Het Premonstratenzer Kloosterleven*. Tongerlo, 1948 (ampla bibliographia: pp. XIII-XVI); Fr. PALLESCHI, *Ricerche su Adam Scot* in *Anal.Praem.*, 1964, t. XX, pp. 17-40; 206-232; 1965, t. XLI, pp. 79-92; M.J. HAMILTON, *Adam of Dryburgh: Six Christian Sermons. Introduction and Translation*, 1974.

Latina (Migne), t. 198. Alia opera Adami ultimis his annis identificari potuerunt. Opera illa fere omnia referunt speciem sermonum.

Quaerendo an et quidnam Adamus Scotus protulerit de Spiritu Sancto, praecise quatenus influxerit in vitam Deiparae, dicendum est, hanc quaestionem, stricte sumptam, non tractari in scriptis Adami. Elementis quibusdam exceptis. Quae huc redeunt.

Momentum gratiae in sanctificatione hominum, et signanter in vita Deiparae extollitur iteratis vicibus. Huic veritati inculcandae integer Sermo 27 consecratur. «Quia nullatenus proficere possumus nisi ipsa (gratia) nos praeveniret aspirans et subsequeretur adiuvans et comitetur consolans» (*Patr.lat.*, 198, 230 D). «Absente gratia, ut unusquisque vestrum multoties sentit et experitur ... aegrotat certe iste, imo pene usque ad mortem est languor eius fortissimus ... Sed erumpente hoc lumine de quo loquimur mane, illuscente et hac clara crastina die, illapso scilicet in mentem adventu gratiae, viderunt hi spirituales filii Israel Deo gloriam» (*Patr.lat.*, *l.c.*, 213). Huic themati de influxu gratiae coniunctum est thema de influxu Spiritus Sancti: «Unctio quae docet de omnibus dat nobis potissimum videre Dei potentiam venientem. Paraclitus namque Spiritus Sanctus quem mittet Pater in nomine Filii, ipse nos docet et suggerit omnia quaecumque idem Filius dicit nobis. Ipse nos non modo ad cognitionem illuminat, sed ad affectionem inflamat. Et variis quidem modis varios in nobis affectus format». (*l.c.*, 126).

Huic veritati saepe variisque sub formis exposito ab Adamo, consonat doctrina proposita in pluribus Sermonibus de Natali Domini. Mysterium Incarnationis et Nativitatis Dominicae dicitur mysterium gratiae. Virginitas Mariae in hac mirabili Incarnatione hac occasione extollitur. In ea gratia Dei specialissima valide sese affirmat. Gratia ista est influxus ab ipso Deo exoriens. Maria siquidem dicitur «tabernaculum Patris, Filii cubiculum, Spiritus Sancti habitaculum, Trinitatis reclinatorium, coeleste habitaculum, incarnati Verbi domicilium, Dei templum»³). «Apparuit gratia Salvatoris nostri Dei. Triplex gratia, prima est Creatoris nostri Dei, et erat in exordio; secunda Salvatoris nostri Dei; et est modo in fine, spectans ad Filium. Tertia confirmatoris nostri Dei est sine fine, attinens ad Spiritum Sanctum» (*l.c.*, 204). Spiritui Sancto in specie tribuitur fides totalis qua eminuit B. Virgo: «Nonne miratur Maria super his quae dicebantur de Iesu ... Spiritus susurrat humilibus» (*l.c.*, 356). Nativitatis annuntiatio sicuti et ipsa Nativitas mediante Beata Deipara ad nos usque

³) Cfr. *Patrol.Lat.*, t. 198, col. 357.

influxum suum perducit: «Sanctum et hoc de quo loquimur, beata et gloriosa Genitrix eius, in quo de Spiritu Sancto conceptus novem mensibus demoratur. O gloriosum et operosissimum Dei Unigeniti templum, pande nobis ostium misericordiae tuae, et clementiae; concede nobis introire in te, ad Dominum clamamus; ut exaudiat de templo sancto suo vocem nostram» (*l.c.*, 568).

2. Anselmus Havelbergensis.

Anselmus, dictus Havelbergensis, eo quod episcopus fuit civitatis Havelbergensis, natus erat, uti videtur, circa a. 1100. Frequentavit scholam celebrem Laudunensem. Scripta Anselmi probant ipsum possedis-
 se formationem solidam theologicam, canonicam et patristicam. Fuit inter primos discipulos S. Norberti. Cumque Norbertus confratres suos induceret in regimen variarum dioecesium regionum Germanicarum, postquam ipse ad archiepiscopatum Magdeburgensem assumptus esset, factus est Anselmus episcopus Havelbergensis. Ipse Anselmus Norbertum demortuum die 6 Iunii 1134 sepelivit. Plus quam semel apud Imperatorem commoratus est. Anno 1135 corrente, missus est in civitatem Constantinopolitanam ut hac ratione active curare posset de reconciliatione inter Ecclesiam occidentalem et orientalem. Hac occasione, diebus 10 et 15 aprilis 1135 colloquia publica habuit cum Niceta Nicomediensi, in quibus potissimum actum est processione Spiritus Sancti a Patre et Filio. Themata in his colloquiis tractata scripto servata sunt. Praeterea Anselmus noster scite egit et scripsit de diversitatibus existentibus inter varios Ordines religiosos Ecclesiae catholicae. Insistit hac occasione in pluralitate recta quae in vita Ecclesiae occurrere possunt et partim occurrere debent. Scripta hucusque nota impressa prostant in *Patrologia Latina* (Migne), t. 188⁴). Scripta illa penitus inspicienti, apparet Anselmum speciatim in Dialogis habitis cum Niceta, plurima proposuisse quae demonstrant doctrinam eminentem de Spiritu Sancto. Quamvis in Dialogis istis non ex professo egerit de iis quae Spiritus Sanctus in S. Virgine operatus sit, elementa substantialia etiam sub hoc respectu non desunt. Ipsa enim-sic ille Anselmus-Maria est sanctissima; erat et remansit Virgo; maximis gratiis cumulata fuit. Ita ut ipsa, gratia tali dotata, operi sanctificationis redemptorum a Filio suo invigilet.

⁴) Cfr. M. VAN LEE, *Les idées d'Anselme de Havelberg sur le développement des dogmes* in *Anal.Praem.*, 1938, t. XIV pp. 5-35 (cum ampla bibliographia).

Opus «Dialogi» dictum, prologum habet. In quo Summum Pontificem, Eugenium, alloquitur. «Feci, ita Anselmus, quod iussit apostolica auctoritas, cui semper obtemperandum est, non tantum devota humilitate, verum etiam aeternae salutis necessitate» (*Patr.lat.*, 188, col. 1141).

Splendidum encomium operositatis Spiritus Sancti in Ecclesia ante omnia hic citandum est: «Est unum corpus Ecclesiae, quod Spiritu Sancto vivificatur, regitur et gubernatur, cui Spiritus Sanctus est unitus, multiplex, subtilis, mobilis, disertus, incoinquinatus, certus, suavis, amans bonum, acutus, quem nihil vetat benefacere, humanus, benignus, stabilis, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens, et qui capiat omnes spiritus, intelligibilis» (*l.c.*, 1144).

Cum Dialogi orti sint e disputatione et colloquio institutis ad hoc ut plenior unio inter Ecclesiam occidentalem et orientalem obtineri posset, et in illa disputatione directe de Beata Virgine agere occasio data practice non fuerit, ideo de hac ultima quaestione directe textus non invenimus in illis Dialogis. Quod non significat non adesse propositiones indicantes Anselmum autumasse dignitatem eximiam Matris Dei provenisse ab influxu sanctificanti Spiritus Sancti. Audi Anselmum pericopam Evangelii explicantem de muliere fimbriam vestis Domini tangentis et sanata: «Muliere fimbriam Domini tangenti, virtus de illo exibat; et quod virtutis nomine Spiritus Sanctus appellatur, qui ab ipso procedit» (*l.c.*, 1188). Influxus iste gratiae speciatim operatus est in Incarnatione: «Quod ex eo loco patenter cognoscitur, angelo dicente, ubi ad Mariam dixit: Spiritus Sanctus superveniet in te ... (Luc. 1,55). Cum enim praemisisset Angelus: Spiritus Sanctus superveniet in te; competenter subiunxit, Et virtus Altissimi obumbrabit tibi; ut videlicet ostenderet quod Spiritus Sanctus sit idem quod virtus Altissimi» *l.c.*, 1188). Adiungere nobis liceat brevem textum in quod de sua fide haec testatur Anselmus; «Credo ipsum Filium Dei, Verbum Dei, temporaliter natum de Spiritu Sancto ex Maria Virgine cum anima rationali» (*l.c.*, 1199).

3. Philippus de Harveng⁵⁾

Philippus natus erat in pago cui nomen Harveng (in Hannonia), versus a. 1100. Obiit in abbacia, cuius canonicus et postea abbas erat Bonae

⁵⁾ Cfr. G. SIJEN, *Philippe de Harveng, abbé de Bonne-Espérance* in *Anal.Praem.*, 1938, t. XIV, pp. 37-52 (cum ampla bibliographia); Id., *Les oeuvres de Philippe de Harveng, abbé de Bonne-Espérance*: ib., 1939, t. XV, pp. 129-166.

Spei (Bonne-Espérance), die 11 aprilis 1183. Natus ex parentibus modestis, ipsi datum est postea ut scholas theologicas frequentare potuerit, in specie: scholas Parisienses. Hac ratione formationem intellectualem simul ac spiritualem profundam nactus est. In una e suis litteris, quae ad nos usque pervenerunt, extollit venerationem quam in vita sua posteriori retinuit erga centra vitae intellectualis religiosae⁷⁾. Abbatiae Bonae Spei aggregatus est qua religiosus. Asservatur in ecclesia huius monasterii ad nostros usque dies celebris ac vetusta statua B. Mariae Virginis. Huic Virgini-Matri abbatia speciali modo commendata erat. Ideo testatur Philippus noster: «Quanti hodie per universum orbem Conventus gaudent huius Virginis patrocinio se muniri ... Nonne non iste Conventus vester in honore huius Virginis congregatur, et in eius nomine locus iste et Ecclesia dedicatur ... Quis vestrum ... sperans eius filium placabilem et probitum invenire, si matrem potuerit digna reverentia praevenire» (*Patr. Lat.*, t. 203, col. 203). In abbatia officium Prioris ei commissum est. Durante hoc officio, graves difficultates ei obvenerunt. Quando nempe unus e religiosis monasterii, absque consensu Superiorum suae domus, confugerat ad sodales S. Bernardi. Cumque Philippus recte censeret talem modum agendi contrarium esse privilegiis a Summis Pontificibus concessis Praemonstratensibus. Philippus censuit se tale quid permittere non posse. Consequenter ad hunc eventum et rationem agendi Philippi a Capitulo Generali sui Ordinis in aliam domum Ordinis missus fuit. Ut defenderet suam rationem agendi, Philippus scripsit duas litteras S. Bernardo, et unam Summo Pontifici, Eugenio III⁸⁾. Nullibi dicitur quo modo litigium istud in praxi solutum fuit. Philippus ex sua parte ad proprium monasterium reversus est. Et anno 1158 in abbatem Bonae Spei electus est. Munus abbatiale deposuit anno 1182.

Plurima scripta Philippi ad nos usque pervenerunt. Edita pridem cura Abbatis Nicolai Chamart Duaci, 1621. Et postea in *Patrol. Latina* (Migne), t. 203⁶⁾. Inter opera illa habentur variae litterae missae personis praeclaris, et quidem doctrina perspicuis. Sequuntur Commentaria in Canticum Canticorum. Moralitytes in eundem librum sacrum (quae quidem in eodem tomo Migne reproducentur; quae ab auctore a Philippo nostro diverso provenire omnino videntur, quamvis ex altera parte dicendum est quaestionem de identitate talis auctoris nondum

⁶⁾ Nicolaus Chamart, Duaci, Bellerus, 1621, edidit opera Philippi sub titulo: *D. Philippi Abbatis Bonae-Spei, sacri Ordinis Praemonstratensium Auctoris disertissimi, et D. Bernardi, Claraevallensi Contemporanei Opera Omnia*.

constare. Sequuntur deinde varii tractatus: De damnatione Salomonis. Fuse agit de dignitate Clericorum; de obedientia Clericorum; de silentio Clericorum. Tandem nonnullae biographiae Sanctorum et Sanctarum ipsi tribuuntur in textibus evulgatis.

Quaestioni autem quidnam in illis scriptis proponatur de themate nostrae brevis tractationis de habitudine Spiritus Sancti ad Deiparam Virginem, fatendum est tale thema, paucissimis declarationibus exceptis, Commentaria Philippi in Canticum Canticorum prae oculis habenda esse. Doctrina quidem completa et thetice proposita in his Commentariis in vanum quaereretur. Habentur vero elementa summi momenti sub hoc respectu. Potissimum in quantum conceptio virginalis Deiparae ex omni parte extollitur; simul ac consequentiae huius Incarnationis mirabiles pro vita fidelium indicantur. In quibus proponendis Spiritus Sancti influxus non reticetur.

In Epistolis Philippi⁷⁾ sermo fit quidem de Christo, magis speciatim de passione Christi et de quaestione an S. Hilarius, doctor Pictaviensis, recte aut forte minus recte de modo quo Christus se in illa passione gesserit aut sustinuerit, scripserit. Ex hac tractatione Philippi nostri manifestat se uti theologum eximium tractando de relationibus intertrinitariis personarum SS. Trinitatis. Non tangit vero quaestiones relate ad habitudinem specialem Spiritus Sancti. Inspicienda sub hoc respectu veniunt eius Commentaria in Canticum Canticorum. Quod Canticum a Philippo explicasse et commentatum est in sensu proprie mariologico. Sponsus Cantici est Salvator; Sponsa est Beata Virgo. Explicando hac ratione librum Cantici, nullibi explicat an et quo sensu talis propositio pertineat ad sensum litteralem textus sacri, an non. Insequendo methodos sua aetate latissime existentes in interpretatione textuum S. Scripturae.

In commentariis suis Philippus noster, stilo poetico-theoretico, extollit ante omnia momentum in oeconomia Redemptionis maternitatis divinae Deiparae. Ex una parte agitur in hac Maternitate de gratia naturae specialissimae, ex altera parte habetur ex parte B. Virginis responsum personale, vi cuius, rursus sub influxu gratiae, consensum praebet Angelo Gabrieli ipsi proximam maternitatem virginalem nuntianti. Ita ut retinendum sit coniunctionem gratiosam quam maxime intimam extitisse inter ipsam Virginem et divum Filium Christum. Exinde etiam cum

⁷⁾ 25 Epistolae Philippi aut aliarum personarum ad Philippum leguntur inter sua opera. Epistolae illae directae sunt ad personas eminentes: v.gr. ad Summum Pontificem, Eugenium II, S. Bernardum, etc.

redemptis, seu fidelibus christianis. Privilegium quidem Immaculatae Conceptionis perspexisse non videtur. Christus quidem qua homo conceptus a virgine, ab omni culpa originali prorsus immunis remansit. Cum vero ipsa B. Maria modo naturali a parentibus concepta fuerit, Philippus non perspiciebat quomodo a peccato originali immunis remanere potuerit. Nullibi de tali Conceptione apud Philippum sermo fit explicite; quaestio ista pro illo, praecise sumpta, non posita videtur. Addendum est vero, iuxta Philippum, Mariam, Domino concepto, totam pulchram dici deberi. Quod tribuendum est gratiis eximiis ipsi a coelesti suo Sponso tributis. Audiamus duos textus Philippi huc spectantes: «Quia vero caro Christi concepta de Spiritu, originale sibi vitium non contraxit, ad culpam, quam non noverat, infusam sibi animam non attraxit; sed sicut istam tam conceptio, quam conversatio servavit impollutam, sic illam creatio et creantis dignatio ab omni labe reddidit absolutam» (*Patrol. Lat.*, t. 203, col. 288). «Tota pulchra est, quam lex vitiosa, naturae contumelia, morbus irae, iam non premunt, non opprimunt, non sufficiunt impedire quin ad repellendas culpas et desiderio voluntas provocetur, et ei praecedenti digna possibilitas suffragetur» (*l.c.*, 380).

Maternitas Beatae Virginis nullo modo sistit in conceptione et nativitate divini Filii. Maternitas illa protendit se ad opus salvatoris Filii. Et ad sanctitatem fidelium redemptorum a Christo. In oeconomia talis muneris, terminus «mediatrix» admittitur et usurpatur. Scribit siquidem Philippus: «Ipsa Sponsa recte nostra omnium Mediatrix; ipsa Mater non incongrue dicitur imperatrix, quia Sponsum rogans, imperans Filio, furorem eius in gratiam, in amorem suavissimum iram vertit» (*Patr. Lat.*, *l.c.*, 360). Aut, si vis, fusius: «Ipsa inter caput et corpus videtur locum medium obtinere ... Ipsa ... accepit grande munus, per quod multi et diversi facti sunt velut unus ... Ipsa denique Sponso et Filio, interventu medio, nos commendat, invitat nos ad precandum, illum submonet ut ascendat. Disiunctos iungit, iunctos retinet potens et efficax mediatrix ... Quae Filium ad largitatem, ad obedientiam nos invitat; agitque ut et nos deferre obsequium, et illa conferre beneficium non omittat» (*l.c.*, 260). «Collum bonum, bona interventio, bona denique mediatrix, quae iungit quae disiunxerat Eva noxia separatrix» (*l.c.*, 360). «Ab illa ... et per illam eiusdem unguenti salutis, fragrantiae sensus, vel tenuis ad nos venit (*l.c.*, 204). Maria a Philippo dicitur «imperatrix»; «regina». Scribit: «Imperatrix, impera Filio» (*l.c.*, 360): «Virgo prudentissima cum ad tantum venire meritum concupivit, ut regina monstraretur, regali purpura se vestivit» (*l.c.*, 362).

Fundamentalis origo magnitudinis B. Virginis, iuxta Philippum quaerenda est in obumbratione peracta a Spiritu Sancto, iuxta textum S. Lucae in Annuntiatione (Luc. 1, 35). Maria quidem durante vita progressa est de virtute in virtutem. Eo quod respexerit Deus in humilitatem ancillae suae. Quod elementum centrale in vita Christi Matris hac ratione a Philippo nostro explicatur: «Non intendit sic esse agilis, ut praecurrat, ad hoc nitens solummodo, et hoc sibi sufficere iudicans, ut postcurrat; ad quod ipsum suo ipsius iudicio non praevallet nisi tracta, nisi falce infirmitatis propriae non retracta; nisi in ea quae sunt suavi Spiritu gratiae sit impacta, et ad ea quae retro stante nequam Spiritu non redacta» (*l.c.*, 214). Quoniam «Virgo tracta et attracta est loro quodam inconcusso, quo Sponso et Auctori adhaesit corde penitus indefesso; sursum ducta et evecta, sancto Spiritu tam fortiter, tam suaviter obumbrante, ut Deum concipiat natura ius inolitum relegante» (*l.c.*, 216). «Detracta quippe a carnis concupiscentia et affectu noxio pravitatis, manu misericordiae in sublime extulit puritatis; et abrais cupiditatibus quasi colores varios, stellatamque pulchritudinem superduxit, imo virtutum merita et coelestem gratiam introduxit» (*l.c.*, 229 s.). «Nato filio ... Sponsa Sponso amore insolubili sic adhaesit, ut ultra non inferret carnalis impetus casto spiritu detrimentum, nullum ultra vel sentiret amoris alterius blandimentum; inhaerens soli coelo, nesciret fragile pavementum; carnem sic in filio, ut in Sponso amaret Sacramentum» (*l.c.*, 257).

Incarnatio Filii Dei in Maria, Maternitas ipsa cumulum gratiarum attulit. Gratiae illae in ea vacuae non remanserunt. Audiamus Philippum Abbatem; «Sponso adhaerere tam forti desiderio, tam solida fortitudine concupiscit, quod adversis non frangitur, tribulationis malleo non fatescit» (*l.c.*, 301 s.).

Textus tales in libris nostri Philippi Abbatis iterum iterumque occurrunt in suis Commentariis in Canticum Canticorum. Attentus est ulterius Philippus in fiduciam qua fideles ad Ipsam confugere debeant obvium est. Audiamus ipsum Abbatem: «Habet quippe Virgo affectum quemdam benevolentiae largioris erga eos quos perspicit indigere patrocinio fortiori, quos redemptos a filio suo considerat et eniti, et tamen perficere suo pressos pondere non permitti» (*l.c.*, 376). «Hi quidem largo Virginis beneficio non desinunt prosperari, eorum profectibus Virgo aequae non desinit gratulari: donec eorum expolitis ad unguem spiritibus dies suavior aspirabit, et diei huius impatiens obscuritas exspirabit» (*l.c.*, 377).

Conclusio ex his propositionibus Philippi tam ubertim explanatis in Commentariis dictis, patet: Beata Virgo, potissimum ex eo quod Filium Dei, qua hominem, concepit et peperit, quam maxime coniuncta mente et spiritu Deo haberi debet.

Commentaria Philippi non exhibent tractatum completum Mariologiae. Proinde nec explicite influxum Spiritus Sancti in Virginem considerat, uti fit in Summis Theologicis antiquis et modernis. Verum plura habentur apud Philippum indicationes Spiritui Sanctotribuendum esse influxum practice illimitatum in ornanda Virgine Maria ad hoc ut digna redderetur Mater incarnati Salvatoris. Quod paucis textibus ex Philippo desumptis probare vellemus.

Occasione textus Cantici Canticorum: «Capilli tui sicut grex tonsarum», commentatur Philippus de Harveng: «Neque de ascensu caprarum cura fuit Sancto Spiritui disputare, sed profectus Virginis huiusmodi similitudinibus nobis infirmioribus demonstrare, ut de monte in montem, hoc est in virtutem de virtute spiritualis pascuae gratia proficisci, et non iuga montium, sed excelsa profectum satagit adipisci» (*l.c.*, 368). Uti supra iam indicavimus, Philippus summum momentum, in ratione gratificationis et sanctificationis Beatae Virginis tribuit Annuntiationi et Conceptione virginali ex eadem subsequenti. Ea quae profert Philippus de «obumbratione» Spiritus Sancti relate ad Virginem Mariam attentionem nostram plene merentur. «Ipsa est cui sanctus ille Spiritus supervenit, in qua virtus Altissimi gratam sibi requiem adinvenit; quam umbrae velamento longe a culpa faciens vel timore, sessionem placidam ei solo contulit in amore» (*l.c.*, 292). Et paulo post: «Fructus umbrae vel Spiritus obumbrantis suavitas est aeterna, quam palatum iam sentit Virginis, gustat suavius mens interna; sed adhuc ille sapor tamquam illaeso flore virginem custodiret. In praesenti gaudet gustu suavissimo delectari, et expectat ad perfectum, cum illius apparuerit gloria saturari» (*l.c.*, 292).

Et ad verba Cantici: «Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te», haec notat: «Ex quo iniunctum sibi verbum Angelis Virgini nuntiat et salutem, sanctusque supervenit et obumbrans ei Spiritus dat virtutem; in ea non obtinet suum privilegium lex iniqua» (*l.c.*, 379). Tandem, ad textum Cantici: «Genae illius sicut areolae aromatum, consitae a pigmentariis» haec notat Philippus: «Nec alii pigmentarii quam Pater et Filius et eorum Spiritus videntur mihi esse, qui praedicto commercio, communi consilio, dicuntur interesse, quorum, etsi recte credendus nonnisi Filius incarnari, incarnationem tamen Pater simul et Spiritus

Sanctus dicuntur operari ... Digne ergo, et propter genas sponsus diligere promeretur, in quorum unione altitudo fecunda mysterii continetur, quam nobis aegrotantibus idem vertit pigmentarius in unguentum, proficientibus vero, Patre simul et Spiritu cooperantibus, in migmentum» (*l.c.*, 438).

Conclusio, his textibus attente ponderatis, obvia est. Apud Philippum de Harveng quaerenda non est expositio completa, theoretica, dignitatis S. Virginis. Ex eo autem quod Canticum Canticorum ita commentariis ornat ut in Sponso textus sacri intelligat Filium Incautatum et in Sponsa Beatam eius Matrem Virginem, iterum iterumque, variis terminis adhibit, occasionem invenit Philippus ut praeclara, stilo poetico, edicat de eximia dignitate Matris Dei. Fundamentum talis eximiae dignitatis reponenda est, iuxta ipsum, in gratiis concessis vi et ratione Annuntiationis ac Conceptionis virginalis exinde secutae. Quin immoretur Philippus in descriptione penitiori influxus Spiritus Sancti in hac sanctificatione Deiparae, huic influxui summum momentumtribuendum dicendus est.

J.B. VALVEKENS, O. Praem.

Gerardus Drunaeus, †3-1-1603 (Tongerlo)

Van de Tongerloose Norbertijn Gerardus Drunaeus is bekend dat hij ruime vermaardheid genoot in de wetenschappelijke kringen van de tweede helft der zestiende eeuw. Hij werd beschouwd als een van de beste wiskundigen van zijn tijd. Van Willibrord Bosschaerts (*Chronicon Tongerloëse*, AAT, 9 C 30, fol. 112r) vernemen we dat hij meerdere meetapparaten ontwierp die her en der verspreid raakten. In *The Martin d'Arcy Gallery of Art*, een afdeling van *The Loyola University Museum of Medieval and Renaissance Art* te Chicago U.S.A., wordt het bovenstuk of «troon» bewaard van een astrolabium dat in opdracht van Gerardus Grunaeus werd vervaardigd. Dat blijkt uit de tekst die in de hanger gegraveerd is: *Gerardus Drunaeus pastor Rethensis*. Het kunstvoorwerp is afkomstig uit de collectie van Ruth en Leopold Blumka te New York en werd aan de *d'Arcy Gallery* geschonken door Mr en Mrs Robert L. Metzenberg. Genummerd als aanwinst n° 11.75 wordt deze getuige van Drunaeus' wetenschap beschreven onder n° 58 van de catalogus: Donald